

Dall'*Ars poetica* di Orazio: riflessioni del poeta sulla necessità di ricorrere al metro e al tono più adatti a ciascun genere letterario.

Tradurre:

Res gestae regumque ducumque et tristia bella
quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus impariter iunctis querimonia primum, 75
post etiam inclusa est voti sententia compos¹;
quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armauit iambo;
hunc socci cepere pedem grandesque coturni, 80
alternis aptum sermonibus et popularis
uincens strepitus et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus diuos puerosque deorum
et pugilem uictorem et equom certamine primum
et iuuenum curas et libera uina referre. 85
 Descriptas seruare² uices³ operumque colores
cur ego, si nequeo ignoroque, poeta salutor?
Cur nescire pudens praue quam discere malo?
Versibus exponi tragicis res comica non uult;
indignatur item priuatis ac prope socco 90
dignis carminibus narrari cena Thyestae.
Singula quaeque locum teneant sortita⁴ decentem.
 Interdum tamen et uocem comoedia tollit,
iratusque Chremes tumido delitigat ore;
et tragicus plerumque dolet sermone pedestri 95
Telephus et Peleus⁵, cum pauper et exul uterque
proicit ampullas et sesquipedalia uerba,
si curat cor spectantis tetigisse querella.

¹ Intendere: *sententia* (= 'sentimento') *compos voti*.

² *Seruare* = *observare*.

³ *Descriptas ... uices*: si fa riferimento qui ai vari generi letterari stabiliti dai Greci.

⁴ Da *sortior*; da riferire al soggetto *singula quaeque*.

⁵ *Tragicus ... Telephus et Peleus*: i personaggi di Telefo e Peleo rappresentati sulla scena tragica.

N.S.